

majus tamen, in spem libertatis, in spem securitatis. Atque adeo nihil largiatur princeps, dum nihil auferat: non alat, dum non occidat: nec deerunt, qui filios concupiscant. Contra, largiatur ut auferat, alat ut occidat, nae ille in tam brevi tempore effecerit, ut omnes non posteriorum modo, sed sui parentumque poeniteat. Quocirca nihil magis in tua tota liberalitate laudauerim, quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo: neque a te liberi civium, ut ferarum catuli, sanguine et caedibus nutriuntur: quodque gratissimum est accipientibus, sciunt dari sibi, quod nemini est ereptum, locupletatisque tam multis pauperiorem esse factum principem tantum: quamquam nec hunc quidem. Nam cujus est, quidquid est omnium, tantum ipse, quantum omnes, habet.

---